



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Compendiosa Praxis Beneficiaria**

**Nicolarts, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Dvbivm III. An Papa possit Concordatis Germaniæ dero, gare?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

singula loca, ubi opus fuerit, deferri, volumus & dictâ auctoritate decernimus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die decima Iulii, millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Pontificatus Nostri anno tertio.

## D V B I V M III.

An Papa possit Concordatis Germaniæ derogare?

Quæstio  
difficilis  
resolutio-  
nis.

§. I. **A**rdua est hæc quæstio, in utramque partem à DD. variè disputata: aliis negativam, aliis affirmativam sententiam tenentibus.

Argumen-  
ta senten-  
tiæ nega-  
tivæ. Pri-  
mum.

§. 2. Negativam suadent sequentia argumenta. *Primò*, quod pacta, seu contractus publici, sicuti sunt Concordata, utramque partem contrahentem æqualiter complectantur & obligent; cum sint individua & correspectiva, & correlativorum idem sit iudicium, *c. pervenit. 3. de iureiur. Chokier ad reg. 8, gloss. 11. num. 24.* adeoq; nequit à Papa contrahente, sine alterius partis consensu, illis derogari, uti habetur in Constitutione Iulii III. Pontificis relatâ suprâ *hoc tit. 3. dub. 1. §. 12.* Quin & nihil est, quod ampliore luce præfulgeat, quàm recta fides in Principe *l. inter claras. 8. C. de sum. Trinit. gloss. in c. ad Apostolica. 2. de sent. & re iudic. in c.*

Secundum.

§. 3. *Secundò*, quia etiam Princeps contrahendo obligatur civiliter & naturaliter, *Restaur. trac. de Imper. quæst. 114.* nam in con-

in contractibus Princeps consideratur ut privatus, qui à Principio contrahere potest, vel non, sed iam initum observare tenetur, sicut & privatus, *text. in l. sicut. §. C. de obligat. & aff. Reginald. lib. 13. cap. 17. num. 168. Azor. instit. moral. part. 1. lib. 5. cap. 11.* si enim foret in arbitrio Principis contractum infringere, nullus cum eo contrahere vellet, & commercio hominum careret contrahendo, quod esset absurdum, ut qui est Princeps omnium, commercio omnium careret, & qui est omnium Præful, esset omnium exul. *Bald. in l. Princeps. ff. de leg.*

§. 4. Tertiò, contractus à iure gentium ducit originem, & cui Princeps derogare non potest *c. 1. de probat. & gloss. in l. 2. C. de precib. Imp. offer. l. ex hoc iure. §. ff. de iustit. & ius gentium est æternum, & vicissitudinem non admittit. §. sed naturalia quidem iura. instit. de iure naturali, gent. & civili.* Concordata autem Germaniæ sunt eiusmodi, ergò Pontifex iis derogare non valet; ut nec eius successor, quia successor est una & eadem persona cum suo decessore, *Authen. de iure iur. à morien. prest. col. 5. c. 1. ibi prædecessores suos. de probat. maximè propter clausulam Decreti irritantis, quæ etiam ligat manus Papæ, c. quodam. 40. ibi Dominicus. de præben. in 6. VVames. in consil. canonic. tom. 1. consil. 32. num. 12. & seq. plura vide apud Rebuff. ad Concord. Gallia. in præfat. ad rubric. de collat. vers. contrarium credo verius. Leoninum consil. 50.*

§. 5. Verùm his non obstantibus, affirmativa nobis est amplectenda, sub distinctione tamen, quâ utraque sententiã videtur posse conciliari. *Respondeo itaque,* quod Papa pãssim pro arbitrio, & sine legitima causa nequeat Concordatis Germaniæ derogare; bene tamen dum iusta & rationabilis id exigat causa, puta, Ecclesiæ utilitas, vel necessitas, aliave similis pro locorum & temporum circumstantiis. Priorem partem probant argumenta *suprà* pro sententiã negante adducta; quæ & sub prædicta distinctione commodè solvuntur. Posteriores verò convincit imprimis summa & absoluta potestas à Christo immediatè proveniens, quæ in Pontifice uti capite ministeriali & Vicario residet, de rebus, & præsertim beneficiis & officiis Ecclesiasticis in Ecclesiæ utilitatem disponendi & dis-

Tertium.

Affirmativa magis placet.

penlandi, *Clem. ut lite penden. in fin.* quam nec per ulla pacta à se adeò abdicare vult, aut potest, quin semper penes se majorem retineat. *c. dudum. 14. de preben. in 6. Gonzalez ad reg. 8. §. 1. proem. num. 10. & seq. Suarez contra Regem Anglia lib. 4. cap. 34. num. 22, 23. & 24. Diana resolut. moral. part. 5. tract. 1. resolut. 14.* eo quod quis juri privato pro se, & in suam privatam utilitatem, non verò juri publico, & quidem, ut hinc Divino publicam Ecclesie utilitatem concernenti renuntiare possit per *l. iurigentium. 7. §. ait prator. ff. de pactis.* Et implicat, ut caput corporis Hierarchici, vel sacri politici, quò tale consideratum, non sit caput, nec habeat potestatem capiti ejusdem corporis Hierarchici jure Divino competentem, cum per illam potestatem in esse capitis constituatur per *l. potestatis. 215. & ibi DD. ff. de verbor. significat.*

*Quia Concordata Germanie habent vim privilegii.*

§. 6. Ad hæc, Concordata Summi Pontificis cum aliquo Rege, seu Principe, quantum est ex parte ipsius Papæ, habent non tam vim pacti, quàm cujusdam privilegii, prout hæc Concordata Germaniæ, quæ sunt maximè favorabilia, & per quæ ex mera Pontificia benignitate Ordinariis collatoribus indulgetur alternativa mensium: ubi juxta Regulam IX. Cancellariæ Apostolicæ tantùm habent quatuor menses, in quibus beneficia vacantia conferant: unde sicut privilegium revocari potest, ita & Concordata, *Rebuff. ad Concord. Gallia tit. de approbat. conventorum. vers. privilegii. Branden ad Concord. Germania, quest. 8. num. 3. Suarez contra Regem Anglia. lib. 4. cap. 34. num. 22, 23. & 24. Malderus in 1. 2. D. Thoma quest. 96. art. 4. Layman Theol. moralis lib. 4. tract. 9. cap. 10. num. 3. Diana resolut. moral. part. 1. tract. 2. resolut. 96. & part. 5. trac. 1. resolut. 14. D. Remou-champs in tract. de Coadiutor. cap. 5. num. 22.* Quam sententiam etiam Rota Romana comprobavit in una Leodien. Canonatus. 35. Martij. 1610. coram R. P. D. Sacrato hisce verbis. *Et quæ aliàs dicuntur, quod Concordata Germaniæ habent vim contractus, vel non sunt vera, quia spiritualia non cadunt in commercium, sed expediuntur per viam gratiæ: & Papa per huiusmodi Concordata nihil de novo acquisivit, sed multum de iure suo remisit, unde remanet privilegium merum, hæcenus Rota.*

§. 7. Sed

§. 7. Sed nec obstat, etiam si concesserimus Concordata Nec etiam obstat ratio contractus. Germaniæ habere vim contractus; quia certum est, quod Princeps possit ex causa à pactis & contractibus, præsertim cum suis subditis in eis recedere, & illis derogare, *DD. in c. in nostra, de iureiur Felin. in c. novit ille. 13. de iudiciis. num. 8. & alii citati apud Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 31. Anton. Butrio in c. cum M. Ferrariensis. num. 11. de constit. Paulus Paris. consil. 11. num. 51. & seq. vol. 1. Suarez & Diana locis cit. Rebuffum refutantes.* Vbi eam inter Papam, & Principem laicum statuunt differentiam, quod hic, si quid privilegii & favoris facit Ecclesiæ, per aliqua Concordata vel privilegia, omninò id facit superiori, & non subdito, & idè manet irrevocabile per illius potestatem; sed Papa quicquid favoris, aut privilegii facit Principi laico, cum semper faciat sibi subdito in spiritualibus, idè semper remanet à se revocabile, si ita postulet ratio boni spiritualis, & bonum regimen ipsius Ecclesiæ. Quò facit, quod Princeps subditis concedendo venationem, cum iisq; concordando, ut certo loco, vel tempore venentur, possit ex causa publicæ utilitatis contravenire, subditisq; venationem inhibere, *Navar. in manuali confessar. cap. 17. num. 124. Binsfeld. in tract. de iniur. cap. 4. quest. 4. conclus. 7. Gregor. Mor. de monte nigro. in tract. de iure venandi. part. 1. cap. 2. num. 59. 60. & 61.*

§. 8. Hinc bene concludit *R. P. Crusius comment. Hayan. Nam Princeps potest ex causa contractus derogare.* *tom. 2. tract. 2. resolut. quest. princip. VI. cap. 2. §. 22. num. 350. ex DD. ibidem adductis,* quod Princeps Constitutioni suæ, quæ transit in contractum, seu pactum gratuitum, dummodò ex hoc in alium non sit translatum, nec transferatur dominium, possit ex causa derogare; eo quod omnis Constitutio & dispositio intelligatur rebus eodem modo se habentibus; si secus, possit ab illa, non tantum ipse, sed & ipsius successor recedere, *VVames. in consil. canon. tom. 1. consil. 300. num. 4.* quando nimirum dispositio ea transit in eiusmodi contractum dominii non translative, & qui habeat tractum successivum, & respiciat tempus futurum; quod si tamen inter Principem & subditos intervenisset contractus onerosus, vel etiam gratuitus, unde in subditos translatum esset dominium, tunc ille

à Principe invitis subditis revocari non posset; nisi aliud natura contractus inferret, *DD. communiter in c. 1. de probat. l. fundi. C. de fundo patrimon.* Atqui in presentiarum Constitutio *Nicolai V.* Pontificis, ut illud gratis admittamus, transivit quidem in pactum seu contractum cum subditis initum, sed gratuitum, ex quo in ipsos subditos contrahentes non est translatum dominium, isq; habet tractum successivum, ac respicit tempus futurum. Igitur ab hac Constitutione, quæ transivit in pactum gratuitum, seu Concordata Germaniæ, poterit ex causa Pontifex, etiam invitis subditis, decedere, illiq; derogare.

*Idem probatur de  
versis ex-  
emplis.*

§. 9. Dein conclusio nostra firmatur factis diversorum Pontificum, qui persæpè dum iusta publicæ utilitatis suberat causa, Concordatis Germaniæ derogarunt; & nominatim *Sixti IV.* qui in Indulto Univerſitati Lovaniensæ concessio, expressè iisdem Concordatis derogavit in verbo. *& Nationi Alemania. & aliorum complurium.* Tum etiam elicitur ex communi stylo, quo passim derogare solent Pontifices Concordatis Germanicis, in facultatibus nominandi, quas novo Imperatori concedunt ad beneficia Ecclesiastica, quæ vulgò preces primariæ, seu Imperiales dicuntur. *S. nec non Concordatis Nationis Germanicæ &c.* quâ derogatione non uterentur, nisi scirent ei locum esse, & acceptari posse beneficia etiam in alternativis Ordinariorum mensibus.

*Et Rota  
Romana  
Decisioni  
sua.*

§. 10. Ac proinde quod Papa possit Concordatis Germaniæ derogare, disertis verbis sæpius decidit Rota, in allata decisione *suprà tit. 1. dub. 8. §. 7. ibi, num. 4.* & geminatis etiam vicibus in una Tungren. Canonicatus. anno 1612. pro q. *Quirino Bilsain* Clerico Leodiensi, qui à Sede Apostolica obtinuerat jus coadjutoriæ cum derogatione Concordatorum, contra bon. mem. Reverendissimum D. Avunculum meum *Richardum Paulum Trarium*, nuper defunctum Suffraganeum Leodiensem, tunc temporis ex collatione Ordinarii de eodem Canonicatu provisum Nec non etiam coram Decano *Cocino* 4. *May* 1618. quæ decisio extensè refertur à *Chokier ad preces primar. sect. 4. post lit. C. vers. denique postremò.* & ita passim

tenent

tenent Mandos, in reg. 2. cancell. quest. 2. vers. imò etiam in Gallia. Simonetta seu eius additionator in tract. de reservat. quest. 1. num. 5. & quest. 99. num. 25. & 26. Braden ad Concord. quest. 8. per tot. & quest. 12. prope fin. & eiusdem notab. 1. Gabriel commun. conclus. lib. 3. conclus. 6. de iure quest. non toll. num. 1. & 5. ac seq. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 28. num. 26. VVames. in consil. canon. tom. 1. consil. 47. num. 4. in fin. & consil. 255. num. 3. & seq. Garcias de benef. part. 5. cap. 1. num. 15. Malderus loco cit. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 7. 21. 22. 23. & 31. & ad preces primar. sect. 5. §. 2. vers. His nihilominus &c. Layman Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 10. num. 3. & tract. 9. cap. 10. num. 3. Suarez & Diana locis præcitatis supra hoc dub. 5. §. 6. Nicolaus de Remouchamps in tract. de coadiutorijs. cap. 5. num. 22. 23. & 24. R. P. Crusius loco supra cit. num. 349. & 397. ac seq.

§. II. Neque officit Decretum irritans Concordatis appositum, quia hoc non ligat, nec ligare potest manus Papæ, ut constat ex ratione conclusionis nostræ; præsertim cum non dicat per Nos & successores Nostros. ut aliàs resolutum fuit à Rota in una Metensis & Leodien. Canonicatus. & aliis diversis apud Braden ad Concord. notab. 1. Marchesam. part. 3. de Commission. in una Elven. beneficij. inter decisiones sub finem d. par. relatas, fol. mihi. 607. Garciam de benef. part. 5. cap. 1. num. 85 & seq. Chokier ad reg. 8. gloss. 11. num. 19. & 22. & ad preces primar. sect. 5. §. 2. vers. His nihilominus. quibus adde VVames. præcit. consil. 255. n. 3. 6. & 9. vide supra tit. 1. dub. 11. §. 3.

§. 2. Sicut porrò Papa non potest sibi ligare manus c. fin. & ibi gloss. de rescript. in 6. & c. innotuit. 20. de elect. ita nec etiam Papa Papæ legem imponere valet, cum par in parem non habeat imperium d. c. fin. ibi gloss. verb. temporibus & eod. c. innotuit. et l. digna vox. 4. C. de legib. Rota in una primiceriatu Montis Alti. coram R. P. D. Verospio. 8. Iunii 1643. relata à Diana sub fin. part. 7. resolut. moral. Ratio est, quia Pontifices successores non à decessoribus suis, nec à Prælati Germaniæ, sed à Deo immediatè, hoc ipso, quod sint legitime electi in caput Ecclesiæ, suam accipiunt potestatem, ut supra hoc tit. dub. 2. §. 6. ex decisionibus Rotalibus retuli. Adeoq; eius potestatis nulum non videntur decessores ipsius, vel Prælati Germaniæ

Nec officit  
Decretum  
irritans.

Papa nec  
sibi, nec  
successori  
suo potest  
ligare man  
us.

per pactum restringere & impedire posse; quia iuxta distinctionem, quam ponit *Ferretus in c. 1. de probat. num. 6.* aliud est quoad hoc in Imperatore, aliud in Papa; licet enim Imperatoris successor non à decessoribus suis, sed per electionem, ius in Imperium consequatur; tamen si ipse nomine Imperii contrahat, tunc etiam successor Imperatoris ligetur; & rectè, quia ius aliquod ad Imperium ab ipso accipit; at hinc nihil simile de Pontifice, eiusq; successore definit, ubi secus seres habet; cum Pontifex ius suum non ab Ecclesia, sed immediatè à Christo accipiat. Huc accedit, quod Princeps regalia Principalis status, vel ius regium in præiudicium sui successoris, qui ab ipso titulum non habet, per pactum abdicare non possit, *Felin. in c. 1. de probat. num. 5. & 6.* Igitur à pari nec videtur Pontifex prædecessor, qualis fuit in hisce Concordatis *Nicolaus V.* supremam potestatem in præiudicium successoris, qui ab ipso titulum non habet, per pactum abdicare, & renunciare posse. ita non minùs eleganter, quàm eruditè argumentatur *R. P. Crusius loco cit. num. 403.*

Pontifex  
rarissimè  
Concorda-  
tis derogat.

13. Advertendum tamen est, quod quamvis in potestate Pontificia sit Concordatis Germaniæ derogare, id tamen rarissimè facit, vel deficiente iustà causâ, vel voluntate contraveniendi: ita enim *Paulus V.* Pontifex, ut refert *Chokier ad preces primar. sect. 5. §. 2. vers. His nihilominus. in una Paderbornen. Canonicatus.* dum intellexit clausulam Concordatorum derogatoriam provisioni suæ insertam, eandem declaravit irrepsisse per inadvertentiam. Similiter anno 1613. in gratia motus proprii concessa antememorato q. Reverendissimo Domino Avunculo meo *Richardo Paulo Stravio, & Guilielmo Vossio* litigantibus contra *Quirinum Bilstein* Clericum Leodientem, pro Canonicatu & Præbenda, ac Scholastria Tungren in quorum regimine idem *Bilstein* coadiutorem perpetuum in locum cuiusdam *Lamberti Gilkens* deputari se à Sede Apostolica obtinuerat, cum expressa derogatione Concordatorum Germaniæ, in præiudicium Ordinariæ provisionis dictis *Richardo, & Guilielmo*, vigore Concordatorum factæ, declaravit idem Pontifex *Paulus V.* nec suam, nec decessoris sui mentem fuisse derogare  
Concor:



Concordatis Germaniæ in deputatione dictæ coadiutoria: ideoq; collationem & provisionem de eisdem Canonicatu & Scholastria ad favorem *Bilstein* factas, & literas præfatas sub- & obreptitias censendas, eaq; uti & prædictam derogationem Concordatorum revocavit, atque supra nominatos *Richardum*, & *Guilielmum* in possessionem dictorum Canonicatus & Scholastriæ immittendos decrevit sequenti Motus proprii gratiâ.



PAULUS PAPA V.

Pauli Pa-  
pe 5. Con-  
stit. super  
Concorda-  
tiõ Germani-  
ciæ.



**A**D perpetuam rei memoriam. Ex Pastoralis officii Nobis Divinâ dispositione commisi debito fideles quoslibet, præsertim Clericos à litium & controversiarum inter eos pro tempore subortarum molestiis maturè explicari cupientes, lites & controversias huiusmodi extinguimus, ac eiusdem officii Nostri partem interdum interponimus, prout conspiciamus salubriter expedire.

Exordium

**N**um. I. Aliàs siquidem postquam in Concordatis inter Sedem Apostolicam, & inclytam Nationem Germanicam initis, & firmatis caveatur expressè, quod beneficia sub illis comprehensa, cessantibus tunc expressis reservationibus, extra Romanam Curiam in *Februario*, & quinque aliis etiâ tunc expressis mensibus alternatis pro tempore vacantia, per eos, ad quos iure Ordinario beneficiorum huiusmodi collatio, & alia dispositio pertineret, illa

Refero  
Pontifex  
senorem  
Concorda-  
torum  
Germani-  
ciæ & Ita-  
liæ con-  
roversia.

quoties illa deinceps vacare contingeret, conferrentur, nec ipsi per quamcumque aliam reservationem, seu gratiam expectativam, aut quamcumque aliam collationem, vel dispositionem Apostolicam impedirentur: sicut accepimus, dilectus filius *Quirinus Bilstein* assertus Clericus, se q. *Lamberto Gilkens* olim Canonico & Scholastico Ecclesie Beatæ Mariæ Virginis, Oppidi Tungren. Leodiësis Diocesis, tunc in humanis agenti, coadjutorem perpetuum & irrevocabilem in regimine, & administratione Canonatus & præbendæ, ac Scholastriæ dictæ Ecclesie, quos dictus *Lambertus* tunc obtinebat, per fel. recor. CLEMENTEM Papam VIII. Prædecessorem Nostrium Apostolicâ auctoritate constitui & deputari, sibiq; de Canonatu & præbenda, ac Scholastia præfatis, ex tunc, prout postquam illos per cessum, vel decessum ipsius *Lamberti*, aut aliâs quovis modo vacare contingeret, provideri, successiveq; asserens verum annum valorem fructuum, reddituum ac proventuum Canonatus & præbendæ, ac Scholastriæ præfatorum, in dictis literis minimè expressum, nec præfatis Concordatis derogatum fuisse, sibi ab eodem CLEMENTE Prædecessore, quod literæ prædictæ valerent, plenamq; roboris firmitatem obtinerent, & sibi suffragarentur in omnibus & per omnia, perinde ac si in illis, quod fructus, redditus & proventus præfati certum tunc specificatum valorem non excedebant expressum, ac Concordatis prædictis expressè derogatum fuisset, concedi, & indulgeri, simulq; dictis Concordatis derogari obtinuit,

nuit, prout in dictis Concordatis, ac prædicti Prædecello-  
ris, nec non in Nostris exinde, pro eo, quod dictus Præde-  
cessor, antequàm eius literæ desuper expedirentur, rebus  
fuerat humanis exemptus, desuper confectis litteris pleni-  
ùs continetur: obitu autem dicti *Lamberti* extra Roma-  
nam Curiam de mense *Februarii* anni Domini 1606. de-  
functi superveniente, de Canonatu & præbenda, videli-  
cet *Richardo Paulo Stravio* Clerico, de Scholastria  
verò præfatis *Guilielmo Vossio* Præsbytero, dictæ dice-  
cesis dilectis filiis per tunc existentem Præpositum dictæ  
Ecclesiæ, uti Ordinarium Canonatus & præbendæ, ac  
Scholastiæ prædictorum collatorem, iuxta formam &  
tenorem Concordatorum huiusmodi, extra Romanam  
Curiam ordinariâ auctoritate provisum extitit: hincq;  
lis & causa in vim specialis rescripti à Nobis emanati inter  
*Richardum & Guilielmum* ex una, ac *Quirinum*  
præfatos ex altera partibus, super Canonatu & præben-  
da, ac Scholastria prædictis, ad quos ipse *Quirinus* præ-  
textu provisionis sibi de illis, ut præfertur, factæ, huiusmo-  
di ius habere prætendebat, introductâ, diuq; primò co-  
ram quondam Magistris *Alexandro Litta*, & succes-  
sivè coram *Bernardino Scotto* Capellanis Nostris, &  
Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, postremoq;  
coram Venerabili fratre Nostro *Francisco* Archiepisco-  
po Damasceno, etiam olim Causarum eiusdem Palatii  
Auditore, nunc verò unius ex Auditoribus dicti Palatii

locum ex indulto Apostolico tenente discussâ, nec non eorundem Canonicatus & præbendæ, ac Scholasticæ possessio, in qua dictus *Quirinus* intrusus forsan tunc reperiebatur, apprehensa, & fructus sequestrati fuerint, lisq; & causa huiusmodi coram eodem *Francisco* Archiepiscopo, & locum tenente adhuc pendeat indecisa; hoc verò non sine gravi Concordatorum, & Ordinarii Collatoris, ac *Richardi & Guilielmi* prædictorum præiudicio, dispendio & perturbatione evenit.

*Declarat  
nec suam,  
nec decesso-  
ris sui in-  
tentionem  
fuisse, di-  
ctis Concor-  
datis dero-  
gare; pro-  
inde litem  
motam ex-  
tinguit.*

II. Nos igitur scientes, nec dicti *CLEMENTIS* Prædecessoris, nec Nostram mentem & intentionem fuisse, Concordatis huiusmodi per provisionem dicto *Quirino*, ut præmittitur, factam, & literas prædictas derogare, nec illa in aliquo lædere, de præfatis omnibus & singulis plenè & sufficienter informati, volentesq; pro Pastoralis officii Nostri debito *Richardum & Guilielmum* præfatos à litium huiusmodi ulterioribus dispendiis & molestiis tempestivè explicare, indemnitati, paci, & quieti consulere, ac aliàs in præmissis oportunè providere, ipsosq; *Richardum, & Guilielmum* à quibusvis Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, motu proprio, non ad eorum, vel alterius pro ipsis Nobis desuper oblatae petitionis instantiâ, sed de Nostra mera liberalitate, ac ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, collationem & provisionem de Canonicatu, & præbenda, ac

Scho

Scholastria prædictis dicto *Quirino* ab eodem CLEMEN-  
TE Prædecessore sic factas, & literas præfatas tanquam  
subreptitias, ac obreptitias, & præter, ac contra dicti CLE-  
MENTIS Prædecessoris, & Nostram intentionem quoad  
derogationem, & læsionem Concordatorum huiusmodi  
emanatas, cum omnibus & singulis decretis, etiam irritan-  
tibus, aut clausula sublata, aliisq; clausulis, quamtūvis præ-  
gnantissimis, nec non inde sequutis quibuscūque in omni-  
bus, & per omnia, perinde, ac si numquam emanassent, A-  
postolicâ auctoritate tenore præsentium revocamus, cassa-  
mus, annullamus, irritamus, ac penitùs abrogamus, viri-  
busq; & effectu evacuamus, ac revocatas, cassatas, annulla-  
tas, irritas, abrogatas, ac viribus & effectu evacuatas, nulli-  
usq; roboris, vel momenti unquam fuisse & esse ac fore, &  
pro talibus censeri & reputari, nec ullo modo attendi, nul-  
lumq; per eas dicto *Quirino*, vel cuivis alteri ius in Ca-  
nonicatu & præbenda, ac Scholastria prædictis, vel ad il-  
los, seu illorum fructibus, redditibus, proventibus, & perti-  
nentis quibuscumq; tribui aut acquiri, minusq; sibi suffra-  
gari potuisse, nec de cætero posse Apostolicâ Auctoritate,  
motu, scientiâ, ac potestatis plenitudine similibus decerni-  
mus, & declaramus, litesq; & causas huiusmodi in qua-  
cumque instantia, & coram quibuscumque iudicibus, et  
etiam Causarum dicti Palatii Apostolici Auditoribus, seu  
illorum loca tenentibus pendeant, ac in quibuscumque sta-  
tu, & terminis reperiantur, etiamsi quomodolibet instru-  
ctæ, & usque ad illarum conclusionem perductæ, ac quæ-  
cumque

cumque resolutiones ad favorem, & commodum eiusdem *Quirini* factæ fuerint, quas omnes abrogamus, & ad Nos etiam avocamus, easq; penitus & omninò extinguimus, ac prædicto *Quirino*, & quibuscumque aliis desuper interesse habentibus, seu habere prætendentibus, super præmissis omnibus, & singulis perpetuum silentium (sumptibus & expensis utrimque quomodolibet factis, cuiuscumque summx & quantitatis sint, confusis & compensatis) imponimus; & nihilominùs dicto *Francisco* Archiepiscopo, & locum tenenti, aliisq; Auditoribus prædictis, nec non quibusvis iudicibus Ordinariis, vel delegatis districtè præcipimus & interdiciamus ne ulterius de statu, & meritis causæ & causarum, ac iuribus, & prætensionibus partium huiusmodi, nunc & quodcumque in futurum cognoscere, minusq; dictum *Quirinum*, vel eius procuratores, aut alios interesse quomodolibet habentes, vel prætendentes ad illarum & illorù prosecutionem, etiam prætextu cuiusque commissionis, seu rescripti admittere, vel desuper quodcumque audire, aut aliàs in causa, & causis huiusmodi ad ultteriores actus procedere quoquo modo audeant, seu præsumant.

*Insuper  
declarat  
hasce lites  
vas semper  
firmas de-  
bere per-  
manere.*

III. Decernentes præsentis literas nullo unquam tempore, etiam ex eo, quod dictus *Quirinus*, & quicunque alii interesse habentes, seu prætendentes, ad id vocati non fuerint, seu quocunque alio prætextu, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intètionis Nostræ, vel quocunque alio defectu notari, impugnari, annullari, retractari, infringi,  
in ius

in ius vel controversiã vocari, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, aut etiam motu pari concedi posse, ne que easdem sub quibusvis similibus, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam à Nobis, & quibuscumque aliis Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, dictaq; Sede sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, pro tempore faciendis comprehendis, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinũ, & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data, per *Richardum & Guilielmum* prædictos, quandocumque eligenda concessas esse & fore, suosq; plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac tã *Richardo, & Guilielmo*, quàm Præposito pro tempore existenti prædictis suffragari, & ab omnibus, ad quos quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

IV. Sicq; per *Franciscum* Archiepiscopum, & De rebus irritis. alios Auditores prædictos, nec non quoscumque iudices Ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, etiam de latere legatos, dictaq; Sedis Nuncios, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere: ac irritum & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel

ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus singulis præmissis, ac Nostrâ *de iure alteri quasito non tollendo*, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

*Exemplis  
filiis & pa-  
trio faci-  
enda.*

V. Volumus autem, quod præsentium copia cum originali collationata, & per unum ex dilectis filiis Cursoribus Nostris in actis Notarii causæ & causarum huiusmodi dimissa, vim validæ & efficaci inhibitionis obtineat, quodque prædictus *Franciscus* Archiepiscopus & locus tenens, statim visis præsentibus, suam, seu aliam quamcumque inhibitionem moderari, ac sequestra super possessione Canonatus & præbendæ, ac Scholastiæ prædictorum, illorumque fructibus huiusmodi quomodolibet apposita in favorem *Richardi, & Guilielmi* prædictorum revocare, & relaxare, ipsosque & eorum quemlibet in corporalem, realem, & actualem possessionem Canonatus & præbendæ, ac Scholastiæ prædictorum respective immittere, seu iam antea immixtos manutenere & conservare, ac quietos, & pacificos dimittere debeat, & teneatur.

*Sanctio  
pœnalis.*

VI. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, scientiæ, intentionis, Motus proprii, revocationis, cassationis, annullationis, irritationis, abrogationis, evacuationis, declarationis, avocationis, extinctionis, impositionis, præcepti, interdicti, decreti, & voluntatis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum



Iorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ M.DC.XIII, quinto Kalend. Aprilis, Pontificatus Nostri anno octavo.

TITULUS IV.

De Concordatis Regni Poloniae.

DVBIVM VNICVM.

Quæ & qualia sint Concordata cum Regno Poloniae inita?

§. 1. **A** Præsenti tractatu minimè alienum existimavi, paucis delibare Concordata inter Sedem Apostolicam, & Regnum Poloniae, sub *Leone X.* Pontifice Maximo inita & à *Clemente* Papa VII. confirmata & ampliata, quæ penè in omnibus coincidunt cum Concordatis Nationis Germanicæ, eo excepto, quod idem *Clemens VII.* expressè concesserit nullas coadjutorias in quibuscumque beneficiis, etiam familiarium & commensalium Papæ, ac Cardinalium, nec non majoribus dignitatibus post Pontificalem in Cathedralibus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis admittendas, nisi de ipsorum Regis Ordinariorum loci, & Capitulum Ecclesiæ, in qua exiterint, consensu, sed eadem beneficia in sex mensibus Ordinariis vacantia, ad ipsorum Ordinariorum collationem & dispositionem, non obstante ullâ reservatione Apostolicâ, plenè spectare debere.

Concordata Poloniae capiunt etiam maiores dignitates post Pontificalem in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis.

§. 2. Insuper nec hisce Concordatis unquam derogatum tenferi, aut derogari posse, nisi in supplicatione manu Pontificis

Nec his Concordatis Papa